

CANCELL:
MARTIS B.
1717:

Q. D. B. V.

DISSERTATIO PHILOLOGICA,

Q. V. A.

AUTORITATEM PRÆCEPTORUM NOACHITICORUM

IN ALMA PHILYREA
CONSENSU AMPLISSIMI SAPIENTUM

ORDINIS

IN DUBIUM VOCABUNT
PRÆSES

M. GERHARDUS HERMANNUS
MENCKE,

ET

RESPONDENS


JOHANNES NICOLAUS à DUMBSTORFF,
OLDENBURGENSES.

AD D. XVIII. APRIL. A. R. S. MDCCXI.

LIPSIÆ,

Literis CHRISTOPH. FRIDER. RUMPFIL.

REVERENDISSIMI
PROTOSYNE DRII
REGIO ELECTORAL.
IN SAXON.
PRÆSIDI ILLUSTRI
DOMINO SUO GRATIOSIS.
CONSILIARIIS,
ET
ASSESSORIBUS.
EXCELLENTISSIMIS,
VIRIS
ILLUSTRI, MAGNIFICIS, SUMME REVERENDIS,
CONSULTISSIMIS, AMPLISSIMIS, ATQUE EXCELLEN-
TISSIMIS,
DOMINIS, PATRONIS, ATQUE MÆCENATIBUS
QUA DECET OBSERVANTIA ÆTATEM
DEVENERANDIS
DISSERTATIONEM HANC ACADEMICAM
DEMISSE OFFERT
CLIENS HUMILLIMUS
M. GERHARDUS HERMANNUS MENCKE,



AUTORITAS
PRÆCEPTORUM
NOACHITICORUM
NEGATA.

S. I.

Magnam certè, qui Hebræorum scripta penitus intropicere, & sedula volvere manu conserverunt, cande[m]que inusitatam antiquitatis affectionem plus vice simplici in illis deprehendent. Iste enim apud Rabbinos mos invaluit, ut recentissimis demum seculis incrustata ab iis commenta vetustissimis adscribere Patriarchis, & pro infallibili veritatis, canæque antiquitatis documento venditare non erubescant. Innumera, quibus scripta eorum scatent, id comprobant exempla, quæ recensere supercedo, cum ex unico in medium producto exemplo hujus veritatem asserti satis liquere existimem. Quodsi enim decantata illa *septem Noachidarum precepta* altius consideremus, tanta Judæorum videbimus nugamenta, quanta solent esse, cum sunt maxima. Longum foret, & actum ageremus, si prolixa hanc doctrinam declaratione excutere velimus, quare *horum saltē autoritatem præceptorum*, à nonnullis stabilitam in præsenti in dubium vocamus, cande[m]que negatam B. L. sistimus.

S. II.

§. II.

De autoritate itaque præceptorum Noachiticorum pro instituti ratione breviter acturi, genuinam prius, ne andabatur more pugnemus, de Noachidarum præceptis, juxta Hebræorum placita, sententiam exponemus. Scilicet septenario numero legum istarum summam Hebræi Doctores complecti conservaverunt, quæ à plerisque hoc ordine (licet alii servare malint) recententur: (1) עַל עֲבוֹרוֹת זָרָה de cultu extranco h. e. idolatria. (2) עַל בְּרִכּוֹת הַשְׁמָךְ de benedictione, seu sensu antiphraستico, maledictione nominis divini. (3.) שְׂפִיכָנִים דְמִקְדָּשׁ עַל שְׂפִיכָנִים de effusione sanguinis humani. (4) גִּילֵי עֲרוּות עַל חַגָּר de revelatione pudendorum. (5) עַל חַזְנִים עַל חַזְנִים de rapina, ac furto. (6) עַל אֶבֶר מִן חַחִי de membro è vivo, h. e. de membro animalis viventis non comedendo. De quibus omnibus Hebræi, & quotquot istis subscribunt, eam fovent sententiam, ut sex priora Adamo data fuisse contendant; septimum verò mandatum Noacho additum perhibeant; quibus tempore Abrahami mandatum circumcisionis, precumque matutinarum; tempore Isaaci præceptum precum dicendarum in meridie, & separationis decimaru; tempore Jacobi præceptum de nervo luxato non comedendo, & precibus vespertinis; imò in Ægypto postea degentibus Israëlitis, plura ab Amramo injuncta præcepta, donec tandem sub Mose lex tota consummaretur, adjecta fuisse asseverant. Conferri hic meretur OTHO in Lexico Rabbinico-Philologico, p. 402. 403. Hæc etiam esse præcepta, ob quorum violationem gentes mundi à Deo punite sint, statuit MENASSE BEN ISRAEL in conciliatore, qu. 2, in Deuter. p. 221. Praeterea septem illa jamjam enumerata præcepta pro jure naturali omnium populorum venditare non dubitant, quæ in religione fidelium V. T. qui ante Abrahami tempora vitam exegerunt, omnem fermè paginam fecerint, omniisque tempore idonea sint, quæ æternam omnibus hominibus conciliare possint salutem.

§. III.

Cum verò Judæi se ipsos ad plura alia, quam hisce præceptis contineri videamus, adstringi non disficiantur, eamque ob causam Noachidarum præcepta ista appellant, operæ pretium erit, indagare, quosnam per Noahidas istos indigitare voluerint. Quod enim se ipsos hoc nomine prorsus excludere intent-

NOACHITICORUM NEGATA.

5

tenderint, vel ex eo dispalefecit, quod summo cum studio nomen hoc respuant, eaque propter nos Noachitarum nomine cum probro insigniant. Sole meridiano clarius illud eluet è verbis *Gemara*, quæ adducit SELDENUS in suo de jure naturæ, & gentium juxta disciplinam Hebraeorum opere, l.i. c.10. p.118: **אַרְקָרְוּ שִׁיאָן עַל שְׂכִירָה וְלֹא עַל שְׂבִירָה** h.e. nomen sortiti sunt Israëliæ ab Abraham nomine, & minimè à Noachidis. Quām futile verò, ac inane illud sit effugium, nemo inficias ibit, qui æquale ponderaverit, ipsum Abramum Noachitam extitisse, quo etiam vocabulo nonnunquam in eorum scriptis nuncupari solet. Vid. SPENCERUS de Legibus Ebraeorum ritualibus, l.2. c.2. p.443. Noachidae itaque, teste MARS-HAMO in canone chronico, seculo IX. p.160. ipsis audiunt gentes omnes, præter Hebreos, qui Abrahamide, vel potius Israëlite vocari amant. Unde patet, eos intelligi oportere populos, qui extra Judæam natí, ad cœtum Judaicum se convertunt, Graeco nomine προσήλυτοι (à προσῆλυθείᾳ, vel προσεληνθείᾳ, adveniendo) vulgo nuncupatur. Duplicis autem generis proselytos antiquitatis Hebreæ indagatores uplurimum recensent, **נָזְרֵי צִדְקָה** proselytos justitiae & ḥošeb vel **שָׁרֶם**, proselyti domicili, sive portæ. (Quamvis alii, ternarium amplectentes numerum, addant **נָזְרֵי צִדְקָה שְׂכִירָה** proselytos mercenarios; quod verò proselytorum genus, cum ad inquilinos pertineat, superfluum esse cum DN. D. CYPRIANO in *dissert. de baptismo proselytorum Judaico*, c.2. §. 1. p.11. existimamus.) Priores, qui etiam proselyti foederis, vel **נָזְרֵי נָרוּת** proselyti tracti, h.e. à se ipsis moti, ad Judaismum fuscipendum nuncupabantur, præputio abscisso, se totos paedagogiæ Mosis subdebant, Zeloque colendi veri Numinis, Judaico more, Mosis legem profitebantur. Posteriores, qui etiam **חֲסִידָרִי אַמְרָנוּתָוּלָה** pii gentiles seculi, vel **צְדִיקָרִי אַמְתָה הָעוֹלָם** justi gentiles seculi appellabantur, dummodo septem filiorum Noah præcepta exactè obseruent, æternæ in futuro seculo particeps fore beatitudinis credebantur. Rotundè rem exprimit DN.D.J. ANDR. SCHMIDIUS in *dissert. de symboli Apostolici in Talmude ruderibus*, §. 19. *Sunt itaque בְּנֵי נֹחַ filii Noah, probi præsertim, nec vitis his indulgentes, idem in Talmude, quod proselyti domicilli.* Nec non LEIDEKERUS de Republica Hebraeorum, l. 6. c.7. p.373. *Qui ea præcepta repererit, vocabitur proselytus domicilli quolibet loco.*

A 3

§.IV.

§. IV.

His præstructis, facile, opinor, judicatu erit, in eo totos esse tantum non omnes Hebræorum doctores, ut horum *avætævæ* præceptorum non modo constanter asseverent, sed & acriter propugnant. Sic eam amplectitur sententiam R. MOSES BEN MAIMON in *Halacha Melachim*, c. 9. Ipsi concinunt *Talmudistæ* in *Gemara Babylonica*, ad tit. *Sanhedrim*, c. 7, f. 56. a. & ad tit. *Joma*, c. 6, f. 67. b. & *Autor tæ Breschit Rabba*, parash. 34. f. 37. col. 3. Subscribit quoque huic sententia GILBERTUS GENEBRARDUS, *Archibishopus Aquensis*, l. 1. *chronol. ad annum mundi* 1656. Nec abhorret ab hac opinione JURIEU dans *histoire Critique des dogmes, & des cultes*, part. 1. chap. 6. p. 39. seqq. qui magno hanc assertionem præditam esse fundamento, satis que videri probabilem, afferit. Conf. SELDENUS *de jure nature, & gentium*, *juxta disciplinam Hebreorum*, l. 1. c. 10. p. 116. seqq. item de *Syndris*, l. 1. c. 2. p. 5. seqq. FRASSEN in *dissertationibus Biblicis in Pentateuchum*, ad Gen. IX. p. 176. seqq. & MARSHAMUS in *canone Chronico*, seculo 9. p. 160. & 184. ubi plura ad hoc argumentum spectantia reperientur.

§. V.

Sigillatim ex nostri ævi Theologis, Viro Celeberrimo, & d' re Literaria Meritissimo, DN. D. JOHANNI FRANCISCO BUDDEO, in libro, quem inscripsit: *Introductio ad historiam philosophiae Hebreorum*, p. 14. seqq. non adeo impròbandum hoc dogma videtur. Enimvero præcepta ista Noachidarum, ut vocat, celeberrima, tanquam sapientie Noachicæ monumentum, à Noacho profluxisse, manifestum esse arbitratur. Hinc Noachum in hisce præceptis suis juris naturalis, ac positivi divini capita quædam complexum esse, afferit, valde verosimile existimans, eum obviam ire illis voluisse iis vitiis, quibus antediluviani homines maximè dediti fuerunt, quibusve sibi, & orbi universo exitium attraxerunt.

§. VI.

Argumenta, quibus Vir Celeberrimus, atque doctissimus sententiam suam corroborare annititur, ad tres potissimum classes revocari possunt: (1) Nullam se videre causam afferit, cur hec gentis Ebrææ traditio vocari in suspicionem debeat. (2) Manifesta putat se horum præceptorum invenisse vestigia in libro Jobi, antiquissimo sane, & ut plurimi volunt, ab ipso Mose, prius

NOACHITICORUM NEGATA.

7

pruisquam populum Ebræum exÆgypto educeret, conscripto. Hinc primum præceptum de idolatria probaturus, provocat ad Jobi c. XXXI. 26. secundum de blasphemia, ad c. l. 12. tertium de homicidio, ad c. XXXI. 29. quartum de adulterio, ad c. XXXI. 9. quintum de furto, ad c. XXXI. 7. sextum de judicis, ad c. XXIX. 1. Septimi autem Noachitarum præcepti de animalis viventis membro non comedendo, nulla in libro Jobi, antiquissimo licet, occurrere vestigia, lubens Vir doctissimus fatetur. (3) Sententiam suam confirmare al-laborat ex eo, quod in antiquissimarum gentium, præsertim Ægyptiorum ritibus, moribusque juris hujus Noachidici reliquæ qua-dam reprehendantur, quod ut demonstraret, recipit sece ad MARS-HAMI canonem chronicum, seculo 9. p. 161. seqq.

§. VII.

Quoditaque pace Viri Celeberrimi fiat, perlustrabimus paucissimis doctissima ejus argumenta, nostramque qualiter cunque pro ingenii modulo iisdem subjungamus. Quod primum concernit argumentum, quo statuit Vir Celeberrimus, nullam se videre causam, cur hæc gentis Ebrææ traditio vocari in suspicionem debeat; crediderim sane, gravissimas subesse rationes, quæ nos vel invitos ad præbendum dissensum, & denegandam dictis fidem impellant, atque commoveant. Constat enim inter omnes, quām nugivendula sit gens natio Judaica, quamve in tradendis somniis, & proponendis fabulis sua querat delicias, hinc omnino cautos, & circumspectos nos esse oportet, ne rancidis Hebreæ gentis scriptoribus nimiam in hoc passu tribuamus fidem, adeoque pro Junone nubem, & pro veris falsa amplectamur. Ce-teras dissensionis nostræ rationes, solutis reliquis, quæ nobis obver-tuntur, argumentis, in medium proferemus, ex quibus satis clare, & dilucidè patet, non omni nos carere fundamento, dum negati-vam sententiam præ affirmativa, intrepide adhuc tueremur.

§. VIII.

Sed longè majori spe gaudere videtur alterum, quod addu-

xit

xit, argumentum, quo operam dat, ut proberet, in ipsis sacris oraculis, cœlestibus religionis monumentis, non obscura horum præceptorum occurtere vestigia, ex quo relinquatur, ut ἀγαρφα, vel ἀντιγραφα, hæc præcepta fugillari nec posse, nec debere. Provocat ad antiquissimum Sacrae Scripturæ librum, eumque juxta plerorumque sententias à Mose conscriptum, scilicet Jobum, ex quo nunc hinc, nunc inde quadam decerpit, quæ scopum suum quodammodo ferire, & ad demonstrandam septem præceptorum Noachiticorum ἀνθεύλαι facere videbantur. Sed, quod bona Tanti Viri venia dixerim, admodum infirma mihi hæc argumentandi ratio videtur. Ut enim silentio involvam, septimi præcepti, satente ipso Celeberrimo Viro, nulla in libro Jobi occurtere vestigia, ex quo, si ual' ἀνθεύλαι disputare velimus, invicto argumento sequeretur, non septem, sed sex Noachidarum præcepta dari, utpote quæ in libro Jobi tantum recensentur: Istud saltem h. l. notari meretur, omnia ista ex Jobo adducta loca assertioni nostræ prorsus non adversari, illa enim doctrinæ capita à Jobo debuisse observari, nemo unquam incisias ibit. Sed hoc saltem controversiae nostræ caput est, numne præcepta ista à Noacho fuerint profecta, quod diffitemur, & ex locis adductis probari non posse confidimus. Enim verò, si ita argumentari licaret, quid prohiberet, quò minus omnes Jobi virtutes ex libello ejus colligamus, atque ex singulis pro lúbitu præceptum aliquid Noachiticum nobis formemus? in primis, cum de decantatis iñis Noachidarum præceptis ne γρα in toto sacro Codice legatur. Unde igitur apodiclicè, vel saltem probabiliter colligitur, hæc ipsa præcepta à Noacho profluxisse, eique suum debere ortum, quod tamet manifestum esse arbitratur Celeberrimus vir? Numne forte ex ipsis Noachi libris, quorum meminit AUGUSTINUS 4.18. de Civitate Dei, c. 38.? Atqui verò hos ipsis supposititos esse, largitur doctissimus Vir. Numne ex constanti Hebraeorum traditione? Hanc verò lubrico inniti fundamento, jam supra occupatum est, Firmo ergò stat talo, nullum in sacris literis Noachiticis præceptis inveniri præsidium.

§. IX.

Tertium denique argumentum, quo suam stabilire
co-

NOACHITICORUM.

9

conatur hypothesin, *huc potissimum redit: Quod in antiquissimorum gentium, præsertim Ægyptiorum, ritibus, moribusque juris hujus Noachidici reliquæ quædam deprehendantur.* Sed nec hoc argumentum stringere mihi videtur, vel probare id, quod probare debet. Nihil enim aliud insinuat, quâm rudera nonnullorum ad jus naturæ spectantium præceptorum apud Ægyptios reperi: Quid verò hoc ad demonstrandam præceptorum Noachiticorum *avðeñlæv* conferre debeat, fateor, me nondum perspicere, quandoquidem nulla eorum mentio insicitur, & præterea adhuc alia juris divini capita ab Ægyptiacarum rerum scriptoribus recensentur. Sic ipse MARSHAMUS in canone chronico, sec. 9. p. 187. seqq. reliquias apud Ægyptios ostendit dogmatum Christianorum de honore Parentum, de fugiendo mendacio, & sanctificando Sabbato, de quibus tamen altum in septem præceptis Noachiticis apparet silentium, neque quisquam sufficienti, & idonea probatione hæc capita ad Noachidarum præcepta referre unquam poterit. Ne quid addam de præcepto de revelatione turpitudinum; licet enim asperæ quoque peñæ in Ægyptiorum legibus circa mulierum delicta statutæ essent, eorum tamen consuetudinibus hoc præceptum maximè adverfari, ex Levit. XVIII. 3. dispalefecit. Sic ad præceptum de membro animalis vivi non comedendo, ex Ægyptiorum disciplina nihil annotatum reperitur, judicio WITSII in Ægyptiacis, l. 1. c. 5. p. 22. Indulget ergo suavibus istis Rabbtinorum somniis, quisquis velit, sufficit, quod nullo idoneo arguento eorum sententia fulciatur, & Sacrarum præcipue Literarum testimonio, ac confirmatione destituatur.

S. X.

Remotis itaque obstaculis, nil amplius restat, quâm ut nostram in medium proferamus sententiam, eandemque validis corroboremus argumentis. Nobis enim cum HOFMANNO in Lexico Universali, T. III. p. 336. Talmudicorum commentis annumeranda hæc doctrina videtur, qui, sueta Magistris istis mentiendi libidine, illustriora quæque

B

ad

ad Patriarchas, vel Prophetas Auctores referre solent. Sunt enim pleraque juris naturalis dictamina, ex Decalogo repetita, eodemque ordine disposita, inque Israëlitarum, ut videtur, Republica olim usurpata. Et primò quidem admodum suspecta mihi hæc de Noachiticis præceptis doctrina videtur, quoniam ne inter ipsos quidem Judæos, quorum tamen traditione unicè innititur, de justo horum præceptorum numero convenit. Extra omnem dubitationis aleam illud possumus erit, si perpendamus insignem illam, ac palpabilem Judæorum circa hoc argumentum discordiam. Mischna enim horum præceptorum prorsus non meminit, Gemara Babylonica verò septem præceptorum mentionem injicit, quibus tamen R. Chanina adjicit præceptum de sanguine viventis, R. Chidka insuper de castratione, R. Simeon de magia; R. Eliezer de heterogeneorum animalium admissione, arborumque infusione. Vid. MARSHAMUS, ipsa in Gemara contenta verba adducens, *in canone chronico, sec. 9, p. 260.* Quæ omnia satis perspicuè indicant, aut prorsus falsam, aut certè ad minimum dubiam esse illam de septem Noahidarum præceptis sententiam: Ex falsis enim, aut dubiis principiis nunquam vera, aut certa orientur principiata. Si igitur dubio non caret ipsa Rabbinorum de hac materia hypothesis, qua quæsto ratione ipsorum dicta, tanquam certa, explorata, & indubitate haberi possunt? Firmissima ergò persistit nostra argumentatio, qua ex summo Judæorum dissensu de infirmitate theseos adverse concludimus, eandemque inter Judaica nugamenta, ac fabulosas historias merito quodam suo referimus.

HOFMANNI LIBRARY
Secundò illud obstat, quò minus contrarie me adscribere sententiæ possum, quoniam eadem ἀγρεψος est, nec ullo

NOACHITICORUM NEGATA.

II

ullo in divinis oraculis fundamento gaudet. Quodsi enim vel totus pervestitetur Sacer Codex, in nulloloco, vel vola, vel vestigium septem Noachiticorum præceptorum deprehendetur. Ostendat mihi quispiam, & erit mihi magnus Apollo, à Noacho illa profluxisse præcepta: Ostendat, proselytos hisce tantum præceptis jure divino teneri, & vietas manus dare non recusabo: Ostendat denique, horum tantum præceptorum observationem æternam conciliare posse salutem, & haud diffilis in suffragando sum futurus. Quæ omnia eò me adducunt, ut firmiter mihi persuadeam cum SPENCERO in tract. de Legibus Ebræorum ritu. alibus, l. 2. c. 2. p. 443. merito dubitari posse, an unquam præcepta illa (quorum apud Hebræos mentio tam frequens) Adami, vel Noachi filii ante Mosis tempora fuerint mandata, cum eorum in Sacris Literis, & Josephi Scriptis ne vel auram levissimam percipere licet: A probabilitate verò longè distat, Scriptores eos rem tam claram, & literis aureis mandari dignam, modò veritati consonam, silentio præterire voluisse, cum præsertim id agerent, ut celebriora omnia, Rempublicam Hebræorum spectantia memoriæ traderentur. Omnia certè ea fundantur (ut CARPOVIUS judicat in notis ad SCHICKARDI jus Regium Hebræorum, p. 333. 334.) in Talmudis Babylonici Gemara, Massechet Sanhedrin, f. 56. col. 1. 2. unde & Maimonides sua hec desumpti: Quanquam & ante Talmudis consarcinacionem R. Jose ben Chilpeta, præceptor Iesbude Sanbli, auctoris Mischnæ, ea recensuerit in fœder Olam Rabba, c. 5. f. 6. col. 2. In medio hanc sententiam relinquit MEVIUS in nucleo Juris naturæ, & gemini inspect. I. n. 10. p. 13. Sed accuratè hanc controversiam decidit LEIDEKKERUS in tract. de Republica Hebræorum, l. 6. c. 7. p. 378. De præceptis septem Noachi, dicens, non est quid in Scripturis, nec de coactione ad ea observanda, nisi quod gentes Cananeas, in Legem naturalem peccantes Deus justo consilio exscindi præcepit. Consentit DORSCHEUS in discussione explicationis circa locum Act. XV. 20. de sanguine, & suffocato, assert. I. §. 2.

B 2

Du-



Dubium est, inquiens, an id, quod de præceptis filiis Noe datis, ex Rabbinis traditur, se omnino ita habeat: Certe Scriptura de eo nibil habet: Et Adamo, & Noacho plura præcepta fuisse, quam ipsis traditis continentur, satis manifestum est. Sic FRISCHMUTHUS in dissert. de septem Noachi præceptis §. 3. nonnisi ex Talmudistarum, & Rabbinorum Scriptis hæc præcepta hauriri posse, statetur. Consentit MAURITIUS de principiis juris publici Germanici, e. 3. §. 17. p. 38. OSIANDER in typo legis nature, p. 177. nec non ad Grotium, p. 260. seqq. Prorsus ad rem PUFENDORFIUS de origine, & progressu disciplina J. N. §. 1. p. 201. Ut quis omnibus populis & àudientiæ ejus traditionis, & numerum istorum præceptorum, argumentis utrinque adpiffis, persuadeat, id verò valde arduum fuerit. Quid? quod ipsi sententiae adversæ fautores dissiteri illud non possunt, dum in Sepher Jekar, P. III. c. 14. dissentient legitur: Se de præceptis hisce loqui לְפִי קָבֵלָת רֹאשׁ juxta traditionem Rabbinorum nostrorum p. i.e. memorie. Eadem ratione R. Jehuda ben Samuel in Sepher Cesri, part. 3. §. 73. apud SELDENUM de jure nature, & gentium, juxta disciplinam Hebræorum, l. 1. c. 10. p. 121. inquit: וְאַצְלָן חָם קָבֵל בְּשֶׁבַע הַמְצֻוֹת הַאֲחֵי תְּקִבָּה h. e. Attamen habetur vulgo traditio de septem ipsis præceptis. Cumque ipsam religionem in hac materia implicari, in propositulo sit, siquidem proselytis, dummodò hæc septem præcepta observent, (quibus tamen plura fuisse observanda, in confessio est) beatifica Dei visio ab Hebræorum Magistris adscribitur, invictum mihi exinde nascitur argumentum: Quodcunque Scriptura Sacra in rebus, religionem nostram concernentibus filet, & sine ullis vestigiorum notis tacita præterit, illud dubiam certè, si non prorsus falsam, parit fidem, nam extra sacras Literas in salutis negotio curiosis nobis esse non licet, monente HACKSPANIO in sylloge disputationum, oratione, de necessitate sacra Philologie. p. 29. Atqui de præceptis Noachiticis hactenus illud est eviculum. Ergo, Imò totum illud

lud dogma, quantum quantum est, Rabbinismum sapere, non infeliciter probasse videtur SPENCERUS^{L c.} tūm ex numero septenario, cum adhuc alia, e. g. de Parentibus hono- randis, de uxore ducenda fratris, sine liberis defuncti, Gen. XXXVIII. 3. &c. Noachidis imperata esse, in aprico sit; tūm ex præceptorum titulo, dum nos quasi per contumeliam Noachidas salutare soliti sunt, id quod Biblicis loquendi rationibus minime responderet.

S. XII.

Tertiò ea pro nobis militat ratio, quod hac ratione, si nonnulla horum præceptorum vestigia ex libro Jobi haurire velimus, non, ut vulgo fertur, septenarius, sed vel centenarius horum præceptorum numerus sit adstruendus. Pa- tet illud perse; dum enim septem præceptorum Noachiti- corum existentiam, atque autoritatem demonstrare anni- tuntur, ad Jobi virtutes se recipiunt, in quibus integrum ho- rum præceptorum syntagma se invenisse putant, quibus veluti armis omnia secus sententium tela uno ictu profligari possint. At enim verò virtutes Jobi non septenario tantum numero, aut iis, quæ in Noachiticis præceptis re- censemuntur, capitibus contingunt, sed in longè ampliora spatia se diffundebant. Insignis Jobi patientia in sacris mo- numentis tanta præfulget excellentia, ut ipse Spiritus Sanctus mirificè eam commendet. Heroica ejus in Goëlem suum fides, cum fundamentum fidei constituat, prima- riū certè horum præceptorum caput occupare debuisset. Et quis omnes Jobi virtutes in medium proferre audeat, quibus commemorandis paginarum angustia certè non sufficeret? Apertum igitur esse crediderim, admodum incongruè pro demonstranda horum præceptorum *adversaria*

ad libertum Jobi provocari; cum enim nulla Noachi mentio iniciatur, & plura insuper præcepta Iobus observare studuerit, ne conjectando quidem assequi possum, qua ratione, vel veri aliqua specie Noachidarum præcepta commode ex hoc libro deduci queant.

§. XIII.

Quarto nostram stabilimus sententiam ex insufficien-
ti præceptorum enumeratione. Major namque fuit pietas
*Patrum ante diluvium, & Noachi, quam que hinc præceptis conti-
nebatur, nec in historia V.T. aliquid est ipsis, quod senniant, juris ve-
stigium, ut loquitur LEIDEKKERUS de Republica Hebreorum,
l. i. c. 5. p. 28. Sex enim priora præcepta aut Adamo
data fuerunt ante lapsum, aut post lapsum. Si ante lapsum,
saltem non opus erat aduersus idolatriam tunc ipsum admodum monere, & præterea datum ipsi præ-
ceptum de Sabbatho, nec non de non edendo ex arbore scien-
tiae boni, & mali: Si vero post lapsum, postquam restitutus
erat per promissionem Messiae, longè pluribus exercitiis,
quam in his præceptis commemorantur, ipsis pietas con-
stabat. Nec dubium est, quin præceptum etiam de sacri-
ficiis acceperit, nam credendum utique, Abelem per fi-
dem offerentem esse imitatum Parentem Adamum, ut re-
tete infert LEIDEKKERUS l. 6. c. 7. p. 378.*

§. XIV.

Quinto denique confirmatur sententia nostra ex fal-
sa assertione. Patebit illud cuivis primo intuitu ex septi-
mo præcepto, quod neque ad capita juris naturalis, neque
positivi universalis referri potest. Quocunque igitur legis
ceremonialis proprium est, ad legem moralem incommo-
dè transfertur. Nervosè hæc complectitur ZENTGRA-
VIUS in disquisitione, de origine, veritate, & obligatione juris
gen-

gentium, artic. i. §. 36. p. 53.54. Quicquid sit de historia rei quam Hebreorum, & Rabbinorum fidei relinquimus, praeceptum scriptum de membro animalis vivi non comedendo, ad jus universale non perire, manifestum est; cetera vero, communia licet, insufficienter sunt enumerata. Imo dubium adhuc existimamus cum DORSCHEO l. c. artic. i. §. 3. an omnia Adamo, & Noacho precepta perpetuo gentes obligaverint. Fuit sane praeceptum Adamo datum de sacrificando, & ita representando semen mulieris, demum sacrificio suo contritum caput serpenti. At istud non obligavit ultra tempus oblationis Christi, licet sacrificiorum oblatio ex more Judaico aliquandiu post ascensionem Christi tolerata fuerit. Non igitur, quod ante Moysen, Adamo, & Noacho praeceptum est, omnes homines, semperque obligati ex eo capite, nisi aliunde obligationis offendatur ratio. His ita se habentibus, longe utique consultius erit, ab ipsis loquendi formulis prorsus abstinere, & praeceptorum Noachiticorum autoritatem suo loco, siisque Autoribus relinquere. Nostrum ergo facimus elegans LEIDDEKKERI epiphonema, l. 1.6.c.7.p.379. Nova sunt Iudeorum commenta, recentia iuris, in Scripturis plane ignota, in Republica antiqua Hebreorum non usitata. Non licet, recentia Iudeorum commenta pro veris antiquitatibus Hebreorum obtrudere.

§. XV.

Palmarium GROTI, cum quibusdam aliis, videtur argumentum, ex Act. XV. 20. de promptum, ubi jubentur gentiles abstinere a contaminationibus simillariorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine. Ex hoc loco enim HAMMONDUS colligit, non oportere a gentilibus circumcisionem requiri, cum ad fidem Christi convertantur, sed satis esse, si modo Noachidarum admittant praecepta, uti solent proselyti portae. Sed enim vero facile hujus imbecillitatem argumenti praeditus CLERICUS in notis ad Hammondi paraphrasit; admodum enim laborat, ut sufficientem reddere queat rationem, cur quatuor saltus, omisis reliquis, commemoretur praecepta, imo septem illa praecepta in hoc versiculo implicite commemorari putat. Initio enim vero non absimile putat, hoc Phocylidis versu:

Appx




16 AUTORITAS PRÆCEPTOR. NOACHITICOR. NEGATA.

Ἄιμα δὲ μὴ Φάγετε: εἰδωλοθύτων δὲ ἀπέχεσθε

Sanguinem non comedere, & abstinere ab idolothysis, integrum præceptorum Noachiticorum numerum designari. Deinceps ostensurus, singula in hoc versiculo recitari præcepta, primum præceptum de abstinentia ab idolothysis duo priora continere contendit; alterum de abstinentia a sanguine ad quintum refert; tertium de suffocatis ad septimum reducit; quartum de fornicatione in quarto quoque præcepto Noachitico querendum esse existimat. Sextum præceptum de furo ex editione Complutensi supplendum cenfet, ubi hæc verba habentur, ne, sibi quod fieri non volunt, id aliis faciant. Præceptum denique de judiciis jure omitti potuisse arbitratur, quoniam Judæi vivebant sub Romanorum potestate, nec, qui à Gentilismo ad Christianismum accedebant, obsequium, quod exhibebant Magistratui, erant exuturi. Sed enim vero admodum coacta hæc derivandi ratio mihi videtur. Quid enim præcepto de abstinentia ab idolothysis cum præcepto de maledictione Nominis divini? Nec ulla appetit convenientia inter præceptum de abstinentia ab esu sanguinis, & inter præceptum de effusione sanguinis: Toto enim celo differunt, abstinere ab esu sanguinis & non committere homicidium: Illud est ceremoniale, hoc morale. Quodque CLERICUS ad editionem Complutensem configiendum esse existimat, desperatam causam indicit, ut &, quod præceptum de judiciis inutile arbitratur. Nos ex ipsa textus συναφεῖ argumentum in contrarium desumimus, & in primis particulam, μηδὲν πλέον urgeamus, hinc frustrâ sunt, qui quatuor illis præceptis, ad tempus datis, addere quedam nou dubitant. Nihil өnī minus h. l. quam præcepta Noachitica insinuantur, cum in eo Apostolus operam, studiumque suum collocaverit, ut ethnicos, imbecilles in fide, æternæ salutis hæredes constitueret. Prohibuit circumcisionem, quam necessariam existimabant Judæi, & pro illa temporis ratione quatuor saltem ista capita ethnicis commendare voluit, ut omne evitaret scandalum, licet successu temporis pleraque illa capita fuerint rejecta. Cum igitur & hic nulla præceptorum Noachiticorum injiciatur mentio, & nulla illorum vestigia deprehendantur, isti quidem sententiae nostrum adjicere calculum merito dubitamus.

F I N I S.



00 A 6280



5b.

WIP

q100

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Q. D. B. V.

DISSERTATIO PHILOLOGICA,

AUTORITATEM
PRÆCEPTORUM
NOACHITICORUM

IN ÁLMA PHILYREA
CONSENSU AMPLISSIMI SAPIENTUM

ORDINIS
IN DUBIUM VOCABUNT
PRÆSES

M. GERHARDUS HERMANNUS
MENCKE,

ET

JOHANNES NICOLAUS à DUMBSTORFF,
OLDENBURGENSES.

AD D. XVIII. APRIL. A. R. S. M D C C X I.

LIPSIÆ,

Literis CHRISTOPH. FRIDER. RUMPFFI.

